



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorum Liber ... Hoc est,
Collectio Veterum monumentorum, quæ hactenus
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

Baluze, Etienne

Parisiis, 1679

Ejusdem epistola ad Girbertum Episcopum & Canonicos Parisienses.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14735

*EIVSDEM EPISTOLA
ad Marbodum Episcopum Redonensem.*

An. 1120.

C Alixtus Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Marbodo Redonensi Episcopo salutem & apostolicam benedictionem. Prudentiæ tuæ gratias agimus quòd datam super Abbatem sancti Melanij & monachos pro contumacia sua excommunicationis sententiam firmiter hætenus observasti. Rogamus autem & præcipimus ut & deinceps id ipsum facias, donec Canonicis secundum mandatum nostrum plenariè revestitis, Abbas ipse cum monachis & cum Canonicorum testificatione ad nos veniat, & de contemptu nostro Ecclesiæ iudicio satisfaciat. Data Viennæ Nonis Februarij.

*EIVSDEM CALLISTI PAPÆ
epistola ad Girbertum Episcopum &
Canonicos Parisienses.*

An. 1123.

C Alixtus Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Girberto Episcopo & Canonicis Parisiensis Ecclesiæ salutem & apostolicam benedictionem. Apostolicæ administrationis debito provocamur suam Ecclesiis dignitatem & justitiam conservare. Quapropter vestram matricem beatæ Mariæ Ecclesiam in suæ dignitatis statu volumus per Dei gratiam permanere. Pro præsentis scripti stabilitate statuimus ut omnes & Clerici & Abbates ad sedem Parisiensem pertinentes tibi, carissime frater Girberte Episcope, & successoribus tuis debitam obedientiam & reverentiam semper exhibeant. Illud

etiam juxta sanctorum canonum censuram decernimus, ut si aliquis Ecclesiæ Parisiensis Canonicus ad episcopatus fuerit honorem promotus, & alterius Ecclesiæ gubernacula beneficiaque susceperit, illius de qua assumptus est priveretur Ecclesiæ canonica.

Datum Laterani V. Kalendas Aprilis, Indictione prima.

*OLLEGARII ARCHIEPISCOPI
Tarraconensis epistola ad Raimundum Episcopum
Ausonensem suffraganeum suum, qua
ejus consultationi respondet.*

Ollegarius Dei gratia Tarraconensis Archiepiscopus venerabili fratri Raimundo Ausonensi Episcopo salutem. De juvene illo super quo me consulistis ut vobis consulerem, qui puer puerum ludens ludentem impedivit ad casum quòd caput frangeretur, hoc nobis respondendum videtur. Quoniam ille vulneratus postmodum, ut fertis, convalescit, & post dies non multos in langorem recidens, defunctus est, rem quidem dubiam certa determinare sententia minimè possumus. Ambiguum namque videtur utrum ex occasione vulneris, aut ex incuria, aut ex alio aliquo, ut assolet, accidenti recidivus eum langor oppresserit. Verùm quoniam beati Augustini & aliorum doctorum consilia nos edoceant talia incerta in meliorem semper partem interpretari debere, de confidentia Dei, cujus misericordia melior est super vitas, præsumentes, hunc bonæ indolis juvenem laudamus in Ecclesia Dei ad minores gradus posse provehi. Si verò laudabilis vita & honesta morum conversatio cum ætate proficiens ipsum canonico tempore acceptabilem com-

Circa an:
112